

Version latine n°6 : l'infortune du pot

Dans une scène cruellement stéréotypée, le mari cocu, un homme pauvre qui gagne sa vie comme ouvrier, revient du travail plus tôt que prévu et frappe à la porte au moment où sa femme est encore dans les bras de son amant.

Tunc mulier callida et ad huius modi flagitia perastutula tenacissimis amplexibus expeditum hominem dolio, quod erat in angulo semiobrutm, sed alias uacuum, dissimulanter abscondit, et patefactis aedibus adhuc introeuntem maritum aspero sermone accipit : « Sicine uacuus et otiosus insinuatis¹ manibus ambulabis mihi nec obito consueto labore uitae nostrae prospicies et aliquid cibatui parabis ? At ego misera pernox et perdia lanificio neruos meos contorqueo, ut intra cellulam nostram saltem lucerna luceat. Quanto me felicior Daphne uicina, quae mero et prandio matutino saucia cum suis adulteris uolutatur ! »

Sic confutatus maritus : « Et quid istic est ? » ait. « Nam licet forensi negotio officinator noster attentus ferias nobis fecerit, tamen hodiernae cenulae nostrae prospexi. Vide sis ut dolium, quod semper uacuum, frustra locum detinet tantum et re uera praeter impedimentum conuersationis nostrae nihil praestat amplius. Istud ego sex denariis cuidam uenditaui, et adest ut dato pretio secum rem suam ferat. Quin itaque praecingeris mihiue manum tantisper accommodas, ut exobrutm protinus tradatur emptori ? »

E re nata fallaciosa mulier temerarium tollens cachinnum : « Magnum » inquit « istum uirum ac strenuum negotiatorem nacta sum, qui rem, quam ego mulier et intra hospitium contenta iam dudum septem denariis uendidi, minoris distraxit. »

Additamento pretii laetus maritus : « Et quis est ille » ait « qui tanto praestinavit ? » At illa : « Olim, inepte, » inquit « descendit in dolium sedulo soliditatem eius probaturus. »

Apulée

¹ Verbe à comprendre dans son sens étymologique (glisser dans le pli du vêtement, dans la poche).